Digitized by Google


UNIVERSIT
Google

Hist 7710

Hist 7710

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XLVIII

# PVER ATHANASIVS BAPTIZANS

*D. O. M. A.*

SVB PRÆSIDIO

## JOH. ANDR. SCHMIDII

ABBATIS MARIÆVALLENSIS

SS. THEOL. D. EJVSDEM ET ANTIQQ.

SACR. P. P. O. SVIQVE ORDINIS SENIORIS

*IN SOLENNE ERVDITORVM JVDICIVM*

*VOCATVS*

A

## JOH. GEORG. MARGGRAFFIO

MINDA - WESTPHALO.

D. VI. APRILIS AN. MDCCI.

---

RECUSA MDCCXXVI.

Digitized by Google

# ATHANASIVS PVER BAPTIZANS.

## §. I.

PUerum Athanaſium baptizantem in ſcenam producturi, totius facti ſeriem ex ſcriptoribus nonnullis ante omnia attuliſſe juvabit, ut in ſequentibus certi quid habeamus, diſquiſitioni noſtræ ſubjiciendum. Quantum vero nobis conſtat, *Rufinus* eccleſiæ Aquilejenſis presbyter, primus hujus rei mentionem fecit in hiſtoria eccleſiaſtica, (a) quam ad Chromatium epiſcopum Aquilejenſem, ab Arianæ hæreſeos primordiis ad Theodoſii mortem ſcripſit: Verum (inquit) non mihi absque ordine videtur, pauca de hujus viri (Athanaſii) origine ſupra repetere, & cujus a puero inſtitutionis fuerit, ſtituti ab his, qui cum ipſo vitam duxerant, accepimus, memorare. Tempore quo apud Alexandriam Petri martyris diem Alexander epiſcopus agebat, cum poſt expleta ſolennia, conventuros ad convivium ſuum clericos expectaret, in loco mari vicino, videt eminus puerorum ſupra oram maris ludum imitantium, ut fieri ſolet, epiſcopum, atque ea, quæ in eccleſiis geri mos eſt. Sed cum intentius diutine pueros inſpectaret, videt ab his geri quædam etiam ſecretiora & myſtica. Perturbatus illico, vocari ad ſe clericos jubet, atque eis, quid eminus ipſe videret, oſtendit. Tum



(a) Libro X. c. 14.

„Tum abire eos, & comprehensos ad se perducere omnes puero imperat. Cumque adessent, quis eis ludus, & quid egissent, vel quomodo? percunctatur. Illi ut talis habet ætas, pavidi, negare primo, deinde rem gestam per ordinem pandunt, & baptizatos a se esse, quosdam catechumenos confitentur per Athanasium, qui ludi illius puerilis episcopus fuerat simulatus. Tum ille diligenter inquirens, ab his, qui baptizati dicebantur, quid interrogati fuerint, quidve responderint, simul & ab eo qui interrogaverat. Ubi videt secundum religionis nostræ ritum cuncta constare, collocutus cum concilio clericorum, statuisse traditur, illis, quibus integris interrogationibus aqua fuerat infusa, iterari baptismum non debere, sed adimplere ea, quæ a sacerdotibus mos est. Athanasium vero atque eos, quos ludus ille vel presbyteros habere visus fuerat, vel ministros, convocatis parentibus, sub Dei obtestatione ecclesiæ tradit nutriendos. Parvo autem tempore cum a notario integre & a grammatico sufficienter Athanasius fuisset instructus, continuo tanquam fidele Domini commendatum, a parentibus restituitur sacerdoti, ac veluti Samuel quidam in templo Domini enutritur, & ab eo pergente ad patres in sanctitate bona, ad portandum post se Ephod sacerdotale eligitur.

§. II. Rufino addimus *Socratem Scholasticum* (*a*) cujus verba ex græco versa, in editione Valesiana ita habent: Paulo post „mortuo Alexandro, Alexandriæ episcopo, Athanasius ecclesiæ præficitur. Hunc cum admodum puer esset, sacrum quendam ludum, una cum pueris æqualibus lusisse, Rufinus narrat. Is lusus erat imitatio sacerdotii & collegii sacrorum virorum; In hoc igitur ludo Athanasius quidem episcopi dignitatem sortitus fuerat; reliquorum vero puerorum alius presbyteri partes agebat, alius diaconi. Atque hæc a pueris ludebantur eo ipso die, quo Petri episcopi & martyris celebratur memoria. Forte Alexander, Alexandriæ episcopus, tunc prætergrediens ludum omnem contemplatur, accitosque

(*a*) H. E. l. 17. p. 44. seq.

accitosque ad se pueros interrogat, quem quisque locum eo in lu-
do sortitus esset, ratus ex eo quod gestum fuisset, aliquid singu-
lis prænunciari. Quo facto, pueros in ecclesia erudire & litera-
rum studiis erudire jubet, ac præcipue Athanasium. Quem qui-
dem jam virilem ingressum ætatem, diaconum constituit & Nicæ-
am secum duxit, ut in concilio, quod ibi congregatum erat, ad-
jumento illius uteretur. Hæc de Athanasio Rufinus in libris suis
commemoravit, nec profecto incredibile est ea contigisse, cum mul-
ta hujusmodi sæpe numero gesta reperiantur.

§. III. Socratem excipit *Sozomenus (a)* qui rem totam paulo prolixius narrat: Alexander (inquit) hunc igitur diem festum celebrans, qui tunc ipsorum erat episcopus, peractis missarum solemnibus expectabat eos, qui una cum ipso pransuri erant. Cumque solus esset, oculos transvertit ad mare. Illic visis eminus pueris, qui in littore ludentes episcopi officium sacrosque ecclesiæ ritus exprimebant, quamdiu quidem scenam illam absque periculo animadvertit, delectebatur spectaculo, nec mediocrem ex ea re capiebat voluptatem. Postquam vero arcana quoque mysteria exprimere cœperunt, perturbatus est animo, vocatisque ad se primoribus cleri, pueros ostendit. Cumque eos comprehensos adduci jussisset, scisitatus est ex iis, quisnam lusus ipsorum esset, & quid in eo dicerent quidve agerent? Illi metu perculsi, initio quidem negarunt. Sed cum Alexander quæstioni instaret, confessi sunt episcopum ac præsulem ipsis fuisse Athanasium: quosdam puros, qui nondum mysteriis initiati fuissent, ab illo fuisse baptizatos. Hos Alexander accurate interrogavit, quidnam ipsis dixisset, feciseve ludi illius episcopus, & quid ipsi respondissent, quidve edocti essent. Cumque omnia juxta ordinem ecclesiasticum servata in ipsis esse, exacte deprehendisset, communicato consilio cum sacerdotibus, quos circa se habebat, censuit non rebaptizandos esse eos, qui in simplicitate divinam gratiam semel percipere meruissent. Reliqua vero, quæ a solis sacerdotibus baptismum tradentibus



(a) Hist. Eccles. L. II. c. XVII. p. 466. seq.

„tibus administrari fas est, in illis supplevit. Athanasium porro, „aliosque pueros, qui in eo ludicro presbyterorum aut diaconorum „partes egerant, sub divino testimonio parentibus ipsorum tradidit, „quo ipsos ad ecclesiæ ministerium educarent informarentque ad ea „officia, quæ fuerant imitati. Nec multo post Athanasium in con„tubernium suum adscivit, eumque notarium deinceps habuit. Qui „cum probe institutus fuisset ac grammaticorum & rhetorum scho„las frequentasset, ubi virilem ætatem ingressus est, etiam ante epi„scopatum iis, qui cum ipso in colloquium venerant, prudentiæ ac „doctrinæ suæ experimentum dedit.

§. IV. Præter ante laudatos, etiam hujus rei meminerunt *Walafridus Strabo* (*a*) atque *autores vitæ Athanasianæ*, quorum duo incerti, tertius vero est *Simeon Metaphrastes*, exhibentes pue„rilem illum baptismum. Prioris istius verba, instituto nostro in„servientia, sunt sequentia: (*b*) vix enim (dicit autor) excesserat „ex infantia, & ut solent pueri ludis delectari & familiaritate uti æ„qualium ob simplicitatem, venit & hic aliquando cum æqualibus ad „quoddam littus maris; & cum illis ludere videbatur ad littus, sed „severa serium erat illud ludicrum, nec tantum præludium futuro„rum, verum etiam occasio Athanasio, & principium initiationis ad „Deum. Personati enim in ludo sacerdotis pueri, Athanasium qui„dem episcopum sibi eligerunt, ipsi in presbyteros & diaconos ele„cti, adducebant ei pueros aliquos, non obsignatos adhuc ad divi„num baptisma, ut ab illo baptizarentur. Tum ille omnia lege con„stituta perficiens & pueros marina aqua baptizans, videbatur illis „consilia dare & admonitiones proponere. Itaque D. Alexander, „qui tum præfectus erat Alexandriæ, cum otium ageret a rebus su„is, & moderata aliqua remissione se recolligeret, oculos suos jucun„dissimis aspectibus maris pascens, & videns Athanasium huic lu„do vacantem, satisque jam spectaculo intentus & admiratus fuis„set apud se, ducit pueros statim, & eos, quibus Athanasius puras manus

(*a*) De divinis officiis c. XXVI.
(*b*) Scriptum hoc in Opp. Athanasii hodie reperitur T. II. p. m. 519. a. sq.

manus impoſuerat, divinorum mandatorum a pueris diaconos, ve-„
luti quendam typum ſigilli in Chriſto, eos prompta manu & ipſe„
ungit, veluti honeſtatum illarum manuum Athanaſii impoſitio-„
nem, & ante ætatem erubeſcens irritam facere. Alterius autoris„
verba eum Rufinianis convenire videntur, nec alias nobis ſuppe-„
ditant circumſtantias. (a) *Simeon Metaphraſta* vero ſcribit: Cum„
ſtaret eminus (Alexander) vidit pueros eccleſiaſticum canonem per„
ludum ſubeuntes. Erat enim domus ad mare converſa, ubi ad lit-„
tora ludebant ſanctiſſimi pueri, in quibus erat epiſcopus Athanaſius,„
& alii convenæ presbyteri & diaconi, qui ad ipſum adducebant ca-„
techumenos baptizandos, quos more eccleſiæ baptizatos volebat o-„
ratione alloqui: Miratus igitur Alexander hæc, quæ gerebantur,„
ad ſe pueros adduci jubet, & cognitis omnibus ex collegarum ſen-„
tentia pueros baptizatos & unctos, ſigillo in Domino confirmavit.

§. V. Unum adhuc poſt Petrum Damiani (b) adducam Nicephorum Calliſtum (c) qui factum illud ſequentem in modum recenſet: Mihi vero magnus iſte vir non abſque divino numine ad„
epiſcopatum perveniſſe videtur ---. Ferunt namque, quum nec-„
dum ad ephebos acceſſiſſet, a Deo ejusmodi quoddam in eo adum-„
bratum & ſimulacro quodam repræſentatum eſſe. Alexandrini in„
urbe ſua feſtum quendam diem inſignem agunt, quo die Petrus,„
qui apud eos eccleſiam rexit, martyrio eſt defunctus. Hanc feriam,„
ut moris erat, Alexander quoque, præfectus tunc eccleſiæ, cele-„
brabat, & ſacris myſticisque ceremoniis operatus ſedebat, eos qui„
cum eo aſſurrecturi fuerant, præſtolans. Quum vero ſederet ſub-„
limior, oculos ad mare conjecit, & pueros quosdam in arena lu-„
dentes vidit. Ludus erat rerum quæ in eccleſia peraguntur, imita-„
tio, & epiſcopi tandem electio. Atque aliquatenus quidem id ni-„
hil habebat periculi. Ut autem arcaniora myſteria, ſacraque non„
tangenda, pueri attigere, graviter factum id tulit: accitisque cleri„
primoribus, pueros oſtendit, eosque ad ſe adduci juſſit. Illi ubi„
ſunt

(a) Itidem T. II. Opp. Athanaſii inſerta ſunt p. m. 170. n. B. C. ſq.
(b) H. E. l. VIII. c. XLIV. p. m. 430.
(c) Libro qui appellatur Gratiſſimus c. 30.

Digitized by Google

„ſunt adducti, de ludicro eos interrogavit: mox etiam quæ egerint „dixit. Pueri pudore ſimul & timore correpti: primum quidem „rem negarunt: deinde vero, ut verbera Alexander eis minatus eſt, „actum omnem expoſuerunt, ut ſc. Athanaſius epiſcopi munus ſor„titus, multos baptizarit, & impoſitione manuum in ordinem eccle„ſiaſticum, ſacerdotes & diaconos cooptaverit. Inquiſivit etiam „rem quanque epiſcopus, quum quid umbratilis epiſcopus per lu„dum ritus ſacros peragens dixerit, tum quid reſponderint, qui fa„cris ab eo initiati eſſent. Atque ubi rem quamlibet juxta ec„cleſiaſticam traditionem ſervatam reperit, cum epiſcopis, qui ei tum „adeerant, re deliberata, non de novo baptizandos eſſe cenſuit, qui „ſemel per ſimplicitatem divina gratia digni effecti eſſent. Et tan„tummodo ea, quæ ſacerdotibus facere fas eſt in myſterio adim„plere juſſit. Pueros autem eo quem in ludo coeperant ordine, i„pſum Deum teſtem faciens, in eccleſiam induxit: & propinquis ſuis „traditos, ut ab eis cuſtodirent, atque in imitatione ad progreſſus fa„ciendos inſtituerentur, qui ſic abunde inſtitutionem puerilem aſſe„cuti eſſent, rogavit.

§. VI. Poſſemus etiam deſcendere ad ſequentium temporum homines, ad factum illud vel provocantes, vel id conſiderantes, niſi conſtaret, eos ſua debere antiquis illis ſcriptoribus. Quapropter de horum fide magis ſolliciti, paucis inquiquiremus, quem locum quamque autoritatem unusquisque illorum mereatur in confirmanda hiſtoriæ hujus veritate. Optandum quidem eſſet, non etiam in hiſtoriam, cum primis eccleſiaſticam, ſtudia partium irrepſiſſe, & veritatem, quam omnes harum rerum periti, unicam hiſtoriæ legem, unicum ſcopum eundemque finem eſſe pronunciant, tam fœde fuiſſe neglectam: procul contra ſemper rationes utilitatis aut vanæ alicujus gloriæ captationem abfuiſſe in rerum antiquarum narrationibus! Aſt moribus hic ἐπιδήμιος, non ſolum plebeja & vilia ſemper ingenia, ſed & viros ingenio & doctrina excellentes, nec non ſummos eccleſiæ antiſtites ſæpe corripuit, & in adverſa traxit.

§. VII. Ru-

Digitized by Google

§. VII. Ruffinus certe, occidentalis ille, Aquilejenſis eccleſiæ presbyter, (quem Sandius (*a*) præeunte Hieronymo diſtinctum putat ab altero Rufino orientali, presbytero ut vult Hieroſolymitano;) habetur Gennadio, Caſſiano & aliis haud contemnenda eccleſiaſticorum doctorum portio. Ante certamen quoque cum Hieronymo ſuſceptum optime ap. eundem audiebat, quando hunc ad Florentinum ſequentia ſcripſiſſe obſervamus: (*b*) *Quia frater Ruffinus, qui cum S. Melania ab Ægypto Hieroſolymam veniſſe narratur, individua mihi germanitatis claritate connexus eſt. Noli nos ejus æſtimare virturibus, in illo conſpicies expreſſa ſanctitatis veſtigia: & ego cinis & viliſſima pars luti, etiam favilla, dum vertor, ſatis habeo, ſi ſplendorem morum illius imbecillitas oculorum meorum ferre ſuſtineat.* Poſt certamen vero multorum habebatur reus, quæ omnia examinare noſtri inſtituti non eſt. Præcipue vapulant ejus verſiones, in quibus multum ſibi indulſit, dum ſuo arbitratu reddidit ſenſum, omiſſis etiam aut additis, quæ videbantur, idque præſertim in libris Origenis atque Euſebii Cæſarienſis, judice Eraſmo. (*c*) Diſtinctius ejus nævos notat Voſſius circa verſionem Euſebianam, ita ſcribens: (*d*) *multa addit, multa demit, multa mutat; dimidium octavi libri omiſit, decimum vix attingit. Atque hoc pacto ex libris decem Euſebii fecit novem, quibus duos de ſuo adjecit, ſed quibus non ſemper habenda ſit fides, ſi Socrati credimus.* Du Pin eadem in eo notat, (*e*) licet verſionem ipſam ut puram, terſam & ſatis elegantem laudet, quæ jucunde admodum autoris ſui ſenſum & mentis ideas exprimit, imo fidelius interdum quam interpretes, qui ipſum poſtea verterunt. Ex eo latini hauſerunt, quicquid de primorum ſeculorum hiſtoria eccleſiaſtica ſcripſerunt aut noverunt.

§. IIX. Scripſit Rufinus hiſtoriam eccleſiaſticam eo tempore, quo diruptis Italiæ clauſtris ab Alarico duce Gothorum ſe peſtifer morbus infudit, & agros, armenta, viros longe lateque vaſtavit.



(*a*) De ſcript. eccl. p. 36.
(*b*) Tom. I. f. 23.
(*c*) In epiſt. Dedic. Opp. Hilarii
(*d*) De H. L. II. 11. add. Cave. H. L. p. 237. ſeq.
(*e*) Nouv. Bibl. Tom. II. p. 4. & Tom. III. p. 142. & 144.

Digitized by Google

Ei enim injunxerat Chromatius, ut historiam, quam Eusebius Cæsariensis græco sermone conscripsit, in latinum verteret, cujus lectione animus audientium vinctus, dum notitiam rerum gestarum avidius petit, oblivionem quodammodo malorum, quæ gererentur, acciperet. Cujus præcepto cum satisfacere vellet, Chromatium vidit idem præstare, quod Philippus in deserto, puerum adesse dicens, habentem quinque panes, & duos pisces: Nimirum ubi pascendi turbas tempus observavit, puerulum subrogasse, qui panes quidem quinque, sicut acceperat, duplicatos adhiberet, (intelligit X. libros Eusebii) ad explendum tamen evangelicum sacramentum proprio labore captos adderet etiam piscículos duos. Aggressus igitur est decem libros historiæ ecclesiasticæ Eusebii, eosque transtulit ita, ut decimum, in episcoporum panegyricis tractatibus occupatum, omissis quæ ei videbantur superflua, nono conjunxerit libro. Decimum vero & undecimum librum ipse conscripsit, *partim ex majorum traditionibus, partim ex his, quæ sua jam memoria comprehenderat*, & eos velut duos piscículos supra scriptis panibus addidit, ceu ipse nos edocuit in præfatione ad Chromatium, historiæ ecclesiasticæ præmissa.

§. IX. Rufinum secutus fuerat in conscribenda sua historia Socrates, qui tamen deprehendit eum in temporum notatione longe a vero aberrasse, cum ea, quæ adversus Athanasium gesta sunt, post Constantini obitum accidisse censeat, relegationem quoque in Gallias & alia plurima prætermittat. Coactus ergo fuit primum & secundum librum, quem juxta fidem illius conscripserat, ex integro dictare, retentis nihilominus iis, in quibus Rufinus a veritate minime aberravit. Satius enim esse duxit ei, qui mala ipsa perpessus esset, & iis, qui rebus gestis interfuissent, fidem habere, quam illis qui res conjecturis tantum assecuti, & ob eam causam in errorem prolapsi essent. (*a*) Similia de Rufino notarunt Vossius (*b*) & Du Pin, (*c*) qui tamen operum ejus nihilominus utilem deprædicat, quia

(*a*) Socr. H. E. lib. I. p. 79. seq.
(*b*) De Symbol. diss. II. c. 5. p. m. 461
(*c*) Loc. cit. p 144.

Digitized by Google

quia primus horum temporum historiam ordinavit. Nec mollius de eo judicat Cave, dum ita scribit: (a) *In historia sua concinnanda, temporisque ratione digerenda, credulum admodum fuisse Rufinum constat, in fabulas & incertos plebecula rumores nimis propensum, quod e trivio & tonstrina petitos, literis mandare temere soleat.* Alia, quæ ejus Origenismum, imputationesque reliquas concernunt, nunc non tangimus, apud Henr. de Noris prolixe legenda. (b)

§. X. Quantum igitur fidei, quantumque autoritatis Rufino sit tribuendum, ex dictis hucusque patere existimo. Inter cæteros etsi magni æstumemus *Socratem*, utpote qui, conquisitis undique optimis monumentis, id est epistolis antistitum, actis synodalibus & libris ecclesiasticorum scriptorum, ex eorum fide historiam suam elaboravit, in hoc tamen passu Rufini nititur relatione, quando scribit: (c) *Hæc de Athanasio Rufinus, in libris suis commemoravit: nec profecto incredibile est ea contigisse, cum multa hujusmodi sæpe numero gesta esse reperiantur.* Sozomenus uti Socrate posterior esse creditur, sic non duntaxat narrationibus Socratis pro more suo quædam addit, quædam sæpe emendat, sed & ex Rufino, licet nomen hoc silentio premat, narratiunculam illam paulo prolixius descripsisse judicandus est, ut utriusque loci collatio legentibus facile indicabit. Incerti illi Athanasianæ vitæ scriptores ex eodem fonte hauserunt, quicquid de hoc negotio retulerunt, quemadmodum & Simeon Metaphrastes, uti alias undecunque vitas sanctorum collegit, sic & hanc ex superioribus eadem fide, qua invenit, retulit. Nicephorus Callistus historiam suam ex Eusebii, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Evagrii, aliorumque scriptorum ecclesiasticorum monumentis contexuit ordine quidem non incommodo & stylo pro ratione ævi non invenusto, fabulis vero putidissimis & quisquiliis variis eam vitiavit (d) Omnis ergo hujus historiæ veritas in fidem autoritatemque Rufini resolvitur, qua stante aut cadente, reliqua quoque stabunt cadentque.



(a) Loc. cit. p. m. 238.
(b) Hist. Pelag. lib. I. c. 2. p. 7. seqq.
(c) Socr. H. E. l. 15. p. 45.
(d) VVhart. app. H. L. p. 29. seqq.

Digitized by Google

§. XI. Priusquam vero ad historiæ examen descendamus, necesse erit quædam adhuc præfari de disciplina arcani, dilatione baptismi, hujusque actione seria, ut ex his tanquam hypothesibus eo felicius in examine procedere possimus. Per *disciplinam autem arcani* (*a*) non intelligimus occulta primitivæ ecclesiæ sacra, introducta metu communis periculi, quando, ob declinandam pœnam capitis, christiani in abditis locis, in cryptis noctu conveniebant & clam sacra peragebant, unde etiam clancularium nomine venerunt: sed illum morem hoc loco intendimus, quo in veteri ecclesia coram profanis & nondum initiatis sacra quædam singulari consilio fuerunt occultata. Mos iste nec a Christo erat institutus, nec ab Apostolis observatus, sed ex gentilium sacris, Eleusiniis præsertim, privato vel usu vel consilio cum aliis institutis, transsumptus ea intentione, ut tanto facilius gentiles aggregarentur christianis, quanto minus inter gentilem & christianum religionem interesset. Exinde factum, ut paganos profanosque homines a communione sacrorum, ob quæ ludibriis & calumniis sine fine christiani petebantur, arcerent, neque catechumenis promiscue mysteria panderent, cum ut eorum simplicitati consulerent, majestatem quoque & reverentiam conciliarent, tum ut magis occultatorum desiderium accenderent. Videtur hæc consuetudo invaluisse ineunte seculo tertio ac deinceps quarto & quinto maxime floruisse, sexto sensim exoleviſse, & septimo demum in ecclesia latina prorsus cessasse, græca autem ecclesia diutius illa custodiente & hodienum ejus vestigia monstrante. (*b*) Objectum religiosæ occultationis fuerunt sacra, non omnia, sed quædam talium, quæ ex scripta doctrina non habentur, sed ex traditione aut apostolorum &

(*a*) Plura de arcani disciplina invenies apud SS. Patres sec. IV. & V. Consul. insuper Voss. in thesibus Theol. & historicis. Ludovicum de la Cerda in Adv. sacr. & in Apol. Isaac. Casaub. Exercit. XVI. adv. Baron. Sect. XLIII. p. m. 489. seqq. Jo. Dallæum de scriptor. Dionys. Areop. suppos. c. XIX. Meierum pecul. tract. de Recond. Vet. Eccl. Theolog. Vilh. Ernest. Tenzel. part. poster. Exercit. Select. de disciplina arcani. Schurzfleisch. in Tmematibus Eccl. Antiq. §. X.

(*b*) Metroph. Critopul. Conf. E. O. c. 9.

& apoſtolicorum virorum aut aliorum doctorum eccleſiæ, Baſilio inuſitato ſtylo δόγματα, ſacra non propalanda, ἀπορρήτα aliis dicta, in oppoſitione ad κηρύγματα, reliqua ſacra, evulganda, ἔκφορα communiter nominata. Præcipue igitur huc ſpectabant ſacramenta baptiſmi & euchariſtiæ, ut docemur ab Auguſtino: (*a*) *Quid eſt* (inquit) *quod occultum eſt, & non publicum in eccleſia? ſacramentum baptiſmi, ſacramentum euchariſtiæ. Opera noſtra bona vident pagani, ſacramenta vero occultantur illis.* Quibus alii addunt epiſcoporum & presbyterorum ordinationes aliaque nonnulla. Ipſa quidem ſacramenta & dogmata de illis non erant omnino occulta, utpote quæ quoad ſubſtantialia in ſcripturis leguntur, ſed eorum ſymbola & ritus myſtici, illis temporis ſucceſſu ſuperadditi, cum cauſis & rationibus fuerunt occultati. Multo minus in claſſem ſacrorum occultandorum referebantur incarnationis, trinitatis & alia myſteria, quoad ſubſtantialia, cum & hæc in ſcriptura ſacra legantur. Ii autem, quibus ex conſvetudine eccleſiæ ſacra illa ſymbolica tegebantur, nominibus *extraneorum, profanorum, non initiatorum*, πολλῶν, *gentilium, catechumenorum*, apud ſcriptores eccleſiaſticos venire ſolent. Quod vero diſciplina arcani in eccleſia Alexandrina obtinuerit, omnium optime nos docebit ſynodus Alexandrina congregata ex Ægypto, Thebaide, Lybia, Pentapoli, in epiſtola (*b*) ad omnes ubique eccleſiæ catholicæ epiſcopos. Ita autem ſcribunt in ea patres: *Nec pudet eos coram catechumenis, & quod pejus eſt, coram ethnicis ita de myſteriis tragicari. Cum oporteat ſicut ſcriptum eſt*, myſterium regis celare, *& ut Dominus præcipit*, non eſſe ſancta porrigenda canibus, neque projiciendas margaritas ante porcos: *Non enim fas eſt myſteria non initiatis prodere, ne per imperitiam ea ſubſannent, aut catechumeni per curioſitatem ſcandalizentur.* Et paulo poſt: (*c*) *ſacrorum igitur miniſtris excluſis, coram ethnicis hominibus quæſtiones de eccleſia, de calice, de menſa Domini, de ſanctis ſanctorum habuere, & quod gravius eſt, ethni-*



(*a*) In enarrat. Pſ. CIII.

(*b*) Quæ habetur in Athanaſii apol. II. p. m. 731. A. B.

(*c*) Ibid. p. 733. D.

Digitized by Google

*eos in quæstione de mystico poculo in testes citaverunt.* Synodo huic addo Cyrillum in eadem ecclesia episcopum, qui de baptismate agens, sequentem in modum scripsit: (*a*) *dicerem sane de his etiam multa alia, & vera demonstrans, per Mosen & prophetas præfiguratum esse hoc sacramentum & non novum vel nuper ortum & a nobis inventum, nisi, sicut jam prædixi, revererer non-initiatorum aures. Solent enim minus comprehensibilia a plerisque videri, quod imbecillitate mentis suæ non vident & omnino nihil faciunt, quæ omni admiratione prosequi decebat: quemadmodum ille multo optimus* (Julianum intelligit) *expendens solo aquarum spectaculo sacramentum esse.*

§. X. De *baptismi dilatione* id monemus, baptismum parvulorum in primitiva ecclesia quidem obtinuisse, teste Augustino: (*b*) *Consuetudo ecclesiæ in baptizandis parvulis non est spernenda, nec ita faceret ecclesia, nisi apostolica esset traditio.* Et alibi: (*c*) *Pædobaptismum ecclesia semper habuit, & a majorum fide accepit, & perseveranter adhuc custodit.* Nihilominus ex secundo jam seculo constat, ut adultorum sic & parvulorum baptismum fuisse dilatum, Tertulliano etiam cunctationem istam probante imo & svadente, sequentibus verbis: (*d*) *Itaque pro cujuscunque persone conditione ac dispositione, etiam ætate cunctatio baptismi utilior est: præcipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse est, si non tam necesse sponsores etiam periculo ingeri? qui & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & proventu male indolis falli. Ait quidem Dominus: nolite illos prohibere ad me venire. Veniant ergo dum adolescunt, veniant dum discunt, dum quo veniant docentur, fiant christiani, quum Christum nosse potuerint: qui festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum? cautius agetur in secularibus, ut cui substantia terrena non creditur, divina credatur. Norint petere salutem, ut petenti dedisse videaris.* Sequentibus temporibus & seculo præcipue IV. varias adduxerunt causas, ob quas justo

(*a*) Lib. VII. contra Julianum p. m. 173.
(*b*) L. X. de Genes. ad literam c. 33.
(*c*) Serm. X. de verbis Apost.
(*d*) L. de Bapt. c. 18. p. m. 280.

ſto longius a baptiſmo abſtinuerunt quidam homines. Alii id videbantur facere bono animo, vel ut ſe magis paratos & tanto munere dignos ſiſterent, vel quia timebant, ne alias ſordes poſt ſalutare illud lavacrum contraherent, ut exemplis oſtenditur Conſtantini M. Gorgoniæ, Gregor. Nazianzeni ſororis, & ipſius Gregorii, cum Alexandria per mare in Græciam navigaret. Fuerunt iterum alii, qui leviores cauſas prætexebant: nimirum nunc expectabant commodiora tempora, nunc ambitioſo delectu quærebant aut quærere ſimulabant, cujus manu quove loco id donum acciperent, nunc in promptu non habebant, quibus ad baptiſmum cum ſplendore ſuſcipiendum opus eſſet. Plerosque una retinuit cauſa, vitæ nimirum licentius agendæ conſuetudo. Quibus tum temporis eccleſiæ DD. & inter hos præprimis ante laudatus Gregorius Nazianzenus, (*a*) Baſilius M. (*b*) ac alii variis obviam iverunt argumentis, deſumptis ex baptismi utilitate & præſtantia, periculo ex incertitudine mortis, obſervanda opportunitate gratiæ, magnitudine bonorum, quæ baptiſmo acquiri poſſent, diaboli ea in re aſtu in fraudem noxamque intenti, futilitate ſpei in Dei gratiam, qua jam oblata uti recuſent, imprudentia conſilii, licentiam peccandi adeoque vim omiſſione tam ſalutaris remedii captantium alentiumque. (*c*) Quibus etiam id tandem effecerunt, ut mos ille in eccleſia fuerit abrogatus.

§. XII. Præterea & illud tanquam certum ſuponimus, quod baptiſmus non ſit vulgaris aliqua lotio, vel qui ex profeſſo nihil aliud ſit, quam vel ridiculus luſus, vel inimica ſubſannatio vel prophanatio inſtitutionis cum recitatione verborum: ſed actio ſeria, ſancta & religioſa, quam miniſter animo præſente, attento & devoto ſecundum inſtitutionem Chriſti adminiſtrat. Ex parte miniſtri enim omnino requirimus, ut is debita intentione & devotione ſacramentum tractet, ne aliis prædicans & miniſtrans ipſe reprobus efficiatur. Qui enim animo prophano, irriſorio, negligenti & irreventi ſacramentum adminiſtrat, graviter peccat. Interea tamen neque eſſentiæ & integri-

tati

(*a*) Oratione XI. in laud. Sororis & Orat. XL. in Sanct. baptiſma.
(*b*) in exhort. ad bapt. p. 190 & alibi.
(*c*) Conf. Tob. Pfanneri lib. de Catechum. cap. IV.

gritati sacramenti, neque baptizato aliquid decedit, si illa ministri intentio absuerit. Nunquam quippe sententiam istam mihi persvadere potui, sacramentum non esse verum & efficax, si minister malitiose subtrahat interiorem suam intentionem, etiamsi in actione seu administratione servet formam institutionis. Scimus quidem Augustinum quatuor sequentes quæstiones proposuisse: (a) 1. Si quis fallaciter, hoc est animo simulato in ecclesia accipiat baptismum. 2. Si quis in mimo cum fide accipiat. 3. Si quis ab eo, qui non est baptizatus, accipiat baptisma. 4. Si tradens baptismum in ecclesia fallaciter agat. Sed, licet de illis in utramque partem disputaverit, usque adeo tamen ex institutionis veritate & certitudine, non ex hominum, sive dantium sive accipientium, quacunque vel qualitate vel intentione, vult metiendam esse veritatem & integritatem sacramentorum, ut ne quidem de mimica seu joculari actione pronunciare ausit. Dein longo tempore post Lombardus indicat illam quæstionem, de ludicra vel joculari baptizatione, ut cum aliqui in balneum vel in flumen merguntur, in nomine Trinitatis, ita disputatam fuisse, sapientibus ut vilum fuerit, non esse baptismum, quia non intentione baptizandi peragitur. Et addit: *Nam & in hoc & in aliis sacramentis, sicut forma est servanda, ita & intentio illud celebrandi est habenda.* Intelligit autem Lombardus intentionem de ipso actu baptizandi, non de fine & effectu baptismi. Postea etiam Innocentius, (citante Angelo in summa) idem statuit, quod ad veritatem seu integritatem baptismi non necessario requiratur, quid minister sciat, sentiat vel credat de baptismi vel substantia vel effectu, imo si contrarium credat & existimet esse deceptionem baptismum, tamen verum esse, modo juxta institutionem baptizet. Sequentium temporum scholastici ulterius progressi, docuerunt *intentionem* dupliciter in aliquid ferri; vel ut in *objectum*, vel ut in terminum aut *finem*. Primo modo volunt, nihil aliud esse quam velle istum actum perficere; secundo modo velle fieri id, propter quod baptismus institutus. Hanc intentionem fecerunt vel *specialem*, quæ vult & intendit illud fieri, propter quod institutus est baptismus: aliam *generalem*,

(a) De bapt. lib. 7. cap. 53.

*talem*, quæ vult & intendit illud fieri, quod ecclesia in baptismo intendit, licet baptizans illud vel ignoret, vel non credat. Et hanc rursus olim distinxerunt in *actualem* atque *habitualem* & quæ postea accessit *virtualem*, faciendi quod facit & credit ecclesia. Sed in hac ipsa phrasi *facere id, quod facit ecclesia*, iterum dissentiunt, dum alii requirunt voluntatem faciendi actiones externas lavandi & verba proferendi: alii sacramentum faciendi: alii necessum esse, ut faciat, quod facit ecclesia materialiter, alii, quod facit formaliter: alii intendendum esse actum duntaxat sacramenti: alii insuper finem; & finem alii propinquum, alii remotum, statuunt. Thomas Aquinas certe sufficere in ministro dicit intentionem habitualem, & si desit ministri intentio, sufficere intentionem ecclesiæ; idcirco etiam a B. Dorscheo (*a*) in hoc capite confessor veritatis evangelicæ Augustana confessione repetitæ, fuit assumatus, a Forbesio (*b*) vero commissus cum Scoto, qui virtualem intentionem sufficere judicavit. Contra Eugenius IV. in decreto concilii Florentini super unione Armenorum, sacramenta tribus perfici docuit, *rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum, cum intentione faciendi quod facit ecclesia, quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum.* Ex hoc desumtus est canon XI. Concilii Tridentini, quo anathema dicitur iis, qui dixerint, *in ministris, dum sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit ecclesia*, non ex debito ministrantis, sed ex necessitate sacramenti, ut plura indicant argumenta. Ubi tamen notatione dignum arbitramur, quod Ambrosius Catharinus hoc ipso in concilio & extra illud intentionis necessitatem oppugnaverit, licet Bellarminus, Pallavicinus & Redingus, illum diversimode vel excusent vel absolvant. (*c*) Interea tamen reliqui decretum il'ud sequuntur & operose defendunt, inter quos ex recentioribus videri potest Augustinus Reding. in theologia scholastica (*d*) & in extincta concilii

C Triden-

(*a*) In Thoma Conf. Sect. 5. cap. 1. p. 191. seq.
(*b*) Instruct. Hist. Th. 10. 1. §. 22. seqq. p. 476.
(*c*) Vid. Heidegg. in tumul. Trident. Conc. Tom. I. p. 610. seqq.
(*d*) Tom. V. Theol. Schol. contr. 2. art. 2. p. 81.

Digitized by Google

Tridentini veritate, cujus argumentis & exceptionibus prolixe respondit Heideggerus. (a)

§. XII. Quæcunque tandem horum sit sententia, quibuscunque etiam modis eam defendant, non prolixius nunc persequemur, cum intentionem ministri ad essentiam & integritatem baptismi non requiri certi simus ex relationibus sequentibus. Harum prima est, efficaciam sacramentorum dependere a solo Deo Tit. III, 5. Eph. V. 26. non ergo ab intentione ministri. (2) eandem esse rationem verbi prædicati, cujus efficacia non pendet ab intentione ministri Rom. I. 16. Phil. I. 16. seq. & sacramenti, tanquam verbi visibilis. (3) defectum probitatis vel peccatum mortale non impedire bonitatem veri sacramenti, juxta canonem XII. Concilii Tridentini, ergo nec defectum intentionis. (4) incredulitatem hominum non reddere irritam Dei veritatem & fidem Rom. III. 3. (5) non requisita intentione in suscipiente baptismum, saltem in infante, etiam non requiri intentionem administrantis. (6) tolli hac ratione a sacramentis veram consolationem, quæ est ex certitudine efficaciæ sacramentorum, cum intentio ministrorum sit imperveſtigabilis. (7) populum pontificium partim dubium reddi an episcopus vel papa sit baptizatus aut legitime ordinatus, adeoque verum ecclesiæ caput? partim periculo idololatriæ exponi, cum nesciat an sacerdos in missa recte transsubstantiaverit. (b) Hæ ergo aliæque rationes faciunt, ut superius adductam sententiam judicemus veriorem, requiri scilicet intentionem ex parte ministri, non vero ratione integritatis sacramenti. Eandem sententiam olim quoque defendit immortalis Juliæ nostræ decus, Georgius Calixtus, (c) quando ita scribit: *Ceterum sicut abluendi, sic quoque sanctissimam trinitatem appellandi & invocandi actio ita usurpari poterit, ut nihil minus sit, quam baptismus. Exempli loco erit: si quis puerum vel adultiorem quempiam male valentem aquis immergat, vel ea largiter perfundat recuperandæ sanitatis ergo,*

(a) l. c. p. 612. usque ad 624.

(b) Latius hæc deducta vid. ap. Chemnit. Ex. C. T. part. II p. m. 27. sqq. Gerh. LL. CC. T. 4. cap. 5. de sacramentis sect. 3. seq. p. 431. sqq. Forbes. l. c Heidegg. l. c. Petr. V. Mastr. theol. th. pr. lib. 7. cap. 3. p. 845. seq.

(c) In disput. de bapt. §. 131.

Digitized by Google

*ergo, atque negotio ſalubrem eventum precaturus formulam invocandæ trinitatis adhibeat: quod quidem, ſi citra vanitatem fiat, culpari non poteſt, baptiſmum tamen huic homini collatum eſſe nemo dicet: merſio erit vel adſperſio, non baptiſmus, qualis in eccleſia hoc vocabulo inſignitur. Hoc igitur intuitu neceſſum eſt, ut accedat intentio aliqua baptizantis, ut baptizans in animo habeat, non vulgari modo abluere, ſed ita, quemadmodum ritu illo externo ac in ſenſus incurrente fieri ſolet in eccleſia, ſive ut habitualiter duntaxat intendat animoque conſtitutum habeat eundem actum, ſaltem quatenus externum & ſenſibilem, præſtare, quem in eo ſacramento exercere ſolent chriſtiani. Quomodo interim, rectene an ſecus de baptiſmo ejusque effectu & utilitate opinetur baptizans, rei dignitati nec confert quidquam nec derogat. Id quod nec ipſis pontificiis diſplicere poteſt.* In proxime ſequenti paragrapho oſtendit hanc intentionem ab actione illa ſeparari & a baptizante miniſtro ſubtrahi non poſſe. Quomodo enim, inquit, miniſter ad hoc vocatus, ut hominem ritu in eccleſia uſitato baptizet, & jam actum hunc baptizandi reapſe exercens, nolit tamen hæc, dum facit, facere? Id dicere res abſurda eſt. Et licet baptizans, quæ hic agenda ſunt, ex habitu tantum agat, nec in animo forte præſens negotium volvat, ſed aliud quid; tamen infantes baptiſmo capiendo oblati, ipſe locus, adſtantes patrini, & cœtus & circumſtantiæ aliæ actionem hanc ita veſtiunt & determinant, ut peragens ſua incogitantia menteque ad aliud verſa rei, quam actu præſtat, intentionem, qualis hic requiritur, & non niſi ad externum ſacrum actum refertur, non valeat eripere.

§. XIII. Sed ſatis diu huic intentioni, forte præter intentionem, inhæſimus, quapropter me nunc converto ad momentorum quorundam, in hiſtoria de puerili baptiſmo Athanaſiano obſervatorum, examen atque reſolutionem. *Primo* autem ſupra vidimus Rufinum eſſe primum, qui factum iſtud literis conſignavit. Quantum illi in hiſtorica veritate ſit tribuendum, ex Socrate, Voſſio, Cave, Du Pin obſervavimus; ſcilicet quod credulus admodum, & in fabulas incertosque plebeculæ rumores propenſus fuerit. Accedit & illud,

lud, quod ipse in præfatione historiæ suæ fateatur, se partem eorum quæ conscripserat, ex majorum traditionibus habuisse; quemadmodum etiam in hoc ipso Athanasii facto recensendo testatur, se ab his, qui cum ipso vitam duxerant, talia accepisse. Rufinus etiam historiam ecclesiasticam scripsit anno CCCC. (*a*) & factum Athanasii accidisse judicatur anno CCCXIII. (*b*) ut adeo ipse integro pene seculo a re gesta fuerit remotus. Abiit quidem cum Melania seniore Alexandriam anno CCCLXXI. cum Athanasius adhuc in vivis esset, & anno CCCXCVII. (*c*) rediisse videtur, sed ab ipso Athanasio hæc non habuit, cum provocet ad traditionem majorum, qui sunt sine dubio monachi orientales, quorum fama permotus in oras istas se contulit. Nam Palladius (*d*) Melaniæ ac Rufini amicus scribit, Melaniam pretiosa suppellectile, quam secum Roma adduxerat, Alexandriæ divendita, in Ægyptias eremos secessisse, atque dimidium annum monasteriis visitandis insumsisse. Sive ergo ipsum scriptorem sive scriptoris fontes & autores primos æstumemus, certi & infallibilis nihil inde concludere nobis licebit. Hinc etiam & Socrates narrationi de baptismo, per Athanasium puerum peracto, finem impositurus, prudenter scribit: *Hæc de Athanasio Rufinus in libris suis commemoravit, nec profecto incredibile est ea contigisse, cum multa hujusmodi sæpe numero gesta reperiantur.* Cuncta refert in Rufini fidem & rei credibilitatem ob similia ab aliis pueris gesta, quasi etiam notavit Antonius Muretus, (*e*) futuræ sortis ac conditionis significationem continentia.

§. XIV. *Secundo*, uti Rufinus fuit primus, cui hanc historiam debemus, sic ante eum nec Athanasio coævum nec proximum habemus, qui vel verbo hujus rei mentionem fecisset. Si aliquis scriptorum, certe Gregorius Nazianzenus, qui Athanasii laudes prolixe enarravit, (*f*) amplissimam dicendi materiam

(*a*) Vid. Anton. Pagi Crit. Hist. Chron. in annales Baron. sec. IV. p. 37.
(*b*) Id. l. c. p. 291. seq.
(*c*) Id. l. c. p. 276.
(*d*) In Lausiacis cap. 102.
(*e*) Lib XIII. Var. lect. cap. 9.
(*f*) Orat. XXI. p. m. 373. seq.

Digitized by Google

am in his recenſendis habuiſſet. Magnifico enim illi exordio: *Athanaſium laudans, virtutem laudabo. Idem enim eſt illum dicere, quod virtutem laudibus efferre: quoniam virtutes omnes in unum collectas tenebat: vel ut verius loquar, tenet:* conveniens omnino fuiſſet & illa dicere, quæ aliis futuri ordinis atque officii erant præſagia. Sed paucis de ejus educatione & inſtitutione agens, ad eccleſiaſticam ſtatim dignitatem progreditur. *Sic porro educatus*, inquit, (*a*) *& inſtitutus, ut nunc quoque eas oporteret, qui plebis antiſtites futuri magnumque Chriſti corpus tractaturi ſint, ſecundum magnum Dei conſilium ac præſcientiam, quæ magnarum rerum materiam longe ante præſtruit, in magnum hunc ſacerdotum ordinem cooptatur, atque in eorum, qui appropinquanti Deo appropinquant, numerum adſcribitur, ac ſacro ſanctæ ſtationis & ordinis honore afficitur, cunctisque eccleſiaſticorum graduum muneribus deinceps perfunctus (ut quæ media ſunt reſecem) Alexandrino populo, quod idem eſt ac ſi dixiſſem univerſo terrarum orbi præficitur.* Ubi quidem Jacobus Billius (*b*) verba illa: *quæ magnarum rerum materiam longe ante præſtruit:* illuſtraturus, provocat ad Sozomenum & Nicephorum narrantes, quemadmodum Athanaſius adhuc puer ab æqualibus ſuis per lùdum epiſcopus creatus epiſcopalia munera obierit, ac multos baptizarit, iisque manus appoſuerit. Sed præter autoris mentem textui hanc addidit notam Billius, cum Gregorius aliud nihil velit, quam Athanaſium rite educatum & inſtitutum in ſacerdotum ordinem fuiſſe cooptatum ſecundum Dei præſcientiam, quæ longe ante novit homines ad futura eaque ardua negotia præparare. Multo minus huc referri debent illa verba: *ut quæ media ſunt reſecem:* quaſi tacite ad factum illud reſpicere velit, cum media illa acta intelligat, quæ inter priora eccleſiaſticorum graduum munera & ipſum epiſcopatum interceſſerant, & puerilem baptiſmum, illa omnia antecedentem, non complectebantur.

§. XV. *Tertio*, Athanaſii ætas, prout communiter illi aſ-

 ſignatur,

(*a*) Loc. cit. p. 376.
(*b*) In ſcholiis ad h. l. p. m. 787.

signatur, facto satis respondere non videtur. Nam Alexander Athanasii antecessor episcopus Alexandrinus XVIII. ordinatus fuit secundum Eusebium Pamphili (*a*) anno CCCXXII. & Athanasius anno CCCXXXI. vel ut alii volunt exeunte mense Decembri anni CCCXXVI. in quo intervallo ex profecto ætate non fuit, ut cum pueris amplius ludere potuerit. Vel, si cum Antonio Pagi (*b*) ponamus Alexandrum anno CCCXIII. Achillæ successisse & primo statim episcopatus anno eundem vidisse pueros in littore maris ludentes, Athanasium quoque tempore ordinationis annum circiter tricesimum, ut communiter dicitur, attigisse, tunc is decimum septimum ætatis annum jam agebat, & tamen Rufini verba, aut res ipsa non videntur pati, decenni puero grandiorem concipere Athanasium, quando cum pueris ludebat. Papebrochius die secunda Maji in vita S. Athanasii cap. I. dicit, dubitari posse, an Eusebius, quando libro VII. cap. 32. tradit, Petrum anno persecutionis nono martyrium subisse, ibidem persecutionis annos incipiat ab anno Christi CCXCV. quo Theophanes testatur, Diocletianum & Maximianum persecutos esse christianos. Quare si anno CCCIII. quo resumtam atrocius persecutionem Theophanes describit, S. Petrus occisus est, Alexander, inquit Papebrochius, celebraverit decessoris sui anniversaria sacra anno CCCV. aut insequenti; sicque Athanasius anno CCCXXVI. quo episcopus dictus, annum tricesimum attigerit. Sed hanc conjecturam non admittendam esse scribit Pagi, quia initium episcopalis sedis S. Petri, annusque ejus martyrii ex Eusebio, tam in historia, quam in chronico statutus, loco moveri non possunt, nisi tota Alexandrinorum præsulum chronologia evertatur: quod eo minus tolerandum, quo Eusebius, qui tunc vivebat, quique seriem & tempora eorundem præsulum nos docuit, tam in chronico, quam in historia diserte testatur, S. Petrum anno nono ultimæ persecutionis Diocletianæ martyrium pertulisse. Idem tradunt Theophanes & auctor chronici Alexandrini; nec hac de re controversia esse potest. Habuit porro idem Papebrochius aliam conjecturam, ita scribens: *Si quis tamen*

(*a*) Chronicorum canonum lib. post. p. 181.

(*b*) Loc. cit. p. 37.

Digitized by Google

*men salva rei substantia, Rufino in aliis quoque de hoc sanctoscriptis non accuratissimo, & solum auditu cognita narranti, putet in nominando episcopo obrepsisse errorem; ipsique S. Petro in memoriam decessoris sui S. Theoni ecclesiam dedicanti malit accidisse, ut videret ludentem Athanasium, nihil repugnabimus: quia etiam sic salva manebit rei substantia, solumque deficiet in circumstantia facile in talibus alterabili.* Verum sæpe laudatus Pagi (*a*) arbitratur, non necessum esse, ut eo delabamur, cum Rufini narratio omni ex parte vera sit, ex qua intelligimus, Athanasium annos circiter viginti sex natum ad ecclesiæ Alexandrinæ thronum evectum fuisse: ideoque anno CCCXIII. adhuc impuberi, ut Sozomenus loquitur, istud ei accidisse, cum annum circiter XIII. egisset. Aliunde etiam constare docet, Athanasium adhuc juvenem episcopum Alexandrinum creatum, nimirum ex Ammonis episcopi epistola ad Theophilum Alexandrinum *de conversatione & particulari vita SS. Pachomii & Theodori*, in qua cap. 2. hæc verba leguntur: *Dixit etiam nobis Pachomius: Mox ut in sedem Alexandrinam inductus est Athanasius, viri nonnulli improbi divinam circa eum dispositionem accusare cœperunt, nimiam ejus juventutem causantes, & ecclesiam in factiones scindere conati.* Ex quibus verbis uti Papebrochius colligit, Athanasium tricenarium duntaxat fuisse, cum ordinaretur, sic Pagi putat, si Athanasius eam tum ætatem attigisset, adversarii nimiam ejus juventutem causari non potuissent, nec ejus electionem veluti non rite factam calumniari. Sed apud Rufinum non deprehendi Athanasium annos circiter viginti sex fuisse natum, cum ordinaretur; & præterea adversariorum criminationes vel illi præter veritatem objiciebant juventutem, vel in comparatione ad antecessorum ætatem intelligendæ sunt. Mallem igitur ego sententiis in utramque partem consideratis illam eligere, quæ judicat ætatem minime convenire rei gestæ. Difficultatem tamen aliquam inesse huic argumento chronologico interea nemo negabit, qui hæc talia per otium discutere voluerit.

§. XVI. *Quarto* aliud svadere videtur disciplina arcani, quæ

(*a*) Loc. cit. p 32.

Digitized by Google

que hoc tempore ut alibi sic in ecclesia Alexandrina etiam obtinuit, ceu supra fuit ostensum. Coetus ille puerorum episcopum habuit, & presbyteros atque ministros, ad quorum electiones & forte consecrationes non initiati licet minime admitterentur, (*a*) tamen pueri isti noverant ordines illos in ecclesia esse, quos adeo absque consvetis ritibus constituerant. Sed majus quid est, quod, dicente Rufino, secretiora quædam & mystica gesserint & Athanasius post interrogationes & responsiones catechumenos quosdam baptizaverit. Sacramenta primarium fuisse occultationis objectum in superioribus monui, & Basilius catechumenum in accipiendo baptismo moras nectentem ad saniora consilia deducturus, rei novitate illum allicere vult: (*b*) *Num non*, quærit, *tanti mineris rem videre desideras? quomodo videlicet absque matre regeneretur homo?* Quomodo ergo Athanasius horum secretiorum notitiam habuit? Vel enim is in infantia jam fuit baptizatus, quod tamen mori baptismum differendi his temporibus usitato & exemplo reliquorum puerorum, qui nondum erant initiati, adversari videtur; vel post dilatum ad tempus baptismum non ita pridem aqua tinctus fuit. Utroque in casu ex lege silentii, recens baptizatis injuncta, tenebatur, non initiatis tacenda sacra, intus audita, minime enarrare. Serio & graviter hoc inculcat Cyrillus Hierosolymitanus in procatechesi illuminatum ita instruens: *Cum catecheses recitantur, si catechumenus ex te quæsierit: quid dicebant doctores? nihil dicas externo — Custodi hoc mysterium — Jam ergo tu in finibus nostris constitutus, cave ne quid effutias.* Atque Cyrillus quidem aliique illam legem ita urgent, ac si silentii istius officium, conscientiæ officium esset, fidelem mysteria externa revelantem, tanquam proditorem condemnantes. Juxta hanc ergo legem & consvetudinem Athanasius minimum Alexandri reprehensionem incurrere debuisset, qui tamen eum fausto omine ecclesiæ nutriendum parentibus tradidit, nec multo post in contubernium suum adscivit, eumque notarium deinceps habuit. Si vero sacro baptismate Athanasius nondum fuit initiatus, qua ratione novit exercere mystica

(*a*) Chrysost. hom. 18. in 2. Cor. Conc. Laod. can. 5.

(*b*) Exhort. ad baptism. col. 118. E.

mystica illa? Ipsa quidem sacramenta & dogmata de illis, innotuisse catechumenis supra concessimus, symbola vero & ritus mysticos minime, prout etiam Cyrillus Alexandrinus scribit: (*a*) *Prohibemur a sacramentis catechumenos, quamvis veritatem jam cognoverint & fidem magna voce confitentur &c.* Et Augustinus de unico baptismo contra Petilianum: (*b*) *Nam quis coram profanis quenquam baptizat? Et tamen baptizari christianos nullus profanus ignorat, qui audit in publico, quod si credit, percipit in secreto.* Dicet aliquis Athanasium curiositate sua motum ista didicisse, quæ in vulgus nota non fuerunt, quemadmodum jam olim Augustinus hanc quæstionem proposuit: (*c*) *Utrum approbandum sit baptisma, quod ab eo, qui non accepit, accipitur, si forte hic curiositate aliqua didicit, quemadmodum dandum sit?* Sed quod illo tempore difficulter fieri potuit, unde constabit hoc factum reapse fuisse? Urgeat quis, illum symbolicos & mysticos baptismi ritus non adhibuisse, atque sic ignorasse, cum Alexander jusserit, reliqua, quæ a solis sacerdotibus, baptismum tradentibus, administrari fas est, in baptizatis supplere. Inter reliqua ista etiam erat ungendi ritus, seculo III. jam receptus & IV. confirmatus. Verum prope mare constitutus plures ceremonias adhibere non potuit, si vel maxime voluisset, symbolis illis partim destitutus, partim Alexandri interventu impeditus. Unde vero ea, quæ illa omnia antecedebant, habuit Athanasius, quorum quædam tamen paulo ante baptismum catechumenis demum communicari solebant? Alexander cum concilio clericorum agnovit, cuncta secundum religionis nostræ ritum constituisse. Quapropter potius colligitur eum noviſſe omnia, quæ baptismum spectabant, id quod tamen disciplinæ arcani repugnare diximus.

§. XVII. *Quinto* si tale quid fecisset Athanasius contra constitutiones ecclesiasticas, advertisset ejus id minime tacuisse. Quot enim sunt crimina, (*d*) quorum postulatus fuit apud Constantinum



(*a*) In Joh. lib. 12. c. 1.

(*b*) Tom. VII cap. 1. p. m. 105. K.

(*c*) Lib. 7. de bapt. contr. Donat. c. 53. p. 101. D.

(*d*) Vid. Athanas. apol. 2. Sozom. l. 2. c. 21. seq. Socr. l. c. 1. 27. Theodoret. l. 1. 28.

Digitized by Google

M. nimirum illegitimæ ordinationis & cathedræ per vim ac fraudem occupatæ: tributi linearum tunicarum, nomine ecclesiæ Alexandrinæ, Ægyptiis impositi: insidiarum structarum vitæ ipsius imperatoris, ope cujusdam Philumeni: Ischyræ pseudosacerdotis jussu Athanasii male habiti: confracti per Macarium poculi mystici, eversi altaris, eversæ mensæ sacræ, sacrorumque voluminum exustorum: Arsenii Meletianæ sectæ episcopi ab Athanasio interfecti, manu etiam illius resecta, magicarum artium gratia: fœminæ (ad id subornatæ) quæ virginitatem vovisset, per vim ab Athanasio constupratæ, violata hospitii simul & humanitatis lege: exercitæ in episcopos Meletianos immanis tyrannidis, aliorum incarceratione, etiam plagarum inflictione: & tandem prohibitæ exportationis annonæ, ex Ægypto & statione Alexandrina, in urbem Cpolitanam, ut hæc ad summas angustias redigeretur. In tanto tamen calumniarum catalogo nulla fit mentio hujus actionis, qua ipse non ordinatus, forte nondum baptizatus, extra necessitatis casum, in vicinia episcopi & clericorum, pueros, catechumenatus tempore nondum absoluto, baptizavit, plane contra ecclesiasticas constitutiones, ut sequens indicabit paragraphus. Qui illegitimam ordinationem objecerunt, sine dubio etiam objecissent illegitimam baptismi administrationem. Si enim clinicis, sive in lecto baptizatis, difficultas olim moveri poterat de promotione in presbyteratum, ceu ex litera canonis (*a*) & exemplo Novati (*b*) constat, quid non fieri potuisset sub severiori illa disciplina, ubi baptismus fuit datus ab Athanasio per ludum & jocum?

§. XIIX. *Sexto* talis baptismus neque ex se neque ex constitutionibus ecclesiasticis valorem habuisset. Per has enim isto tempore nemini nisi episcopo vel presbytero baptismum administrare licebat extra necessitatis casum, qui uti ne fingi hoc loco potest, ita in nullo adhuc ordine Athanasius tunc erat. Dein nulla urgente necessitate initiandi omnes catechumenatus gradus absolvere tenebantur: quibus peractis solenni paschatos vel pentecostes tempore illis demum confere-

(*a*) Concil. Neo Cæs. can. 12.
(*b*) ap. Euseb. H. E. 6. 43.

conferebatur baptiſmus. Sed iterum hic neutrum fuiſſe obſervatum notamus, quia puer de alterius catechumeni profectibus ſufficienter judicare nequit, neque etiam conſtat, qua in claſſe reliqui fuerint conſtituti. Quale præterea tempus erit, indicat feſtum Sanct. Petri, quod epiſcopus cum clero ſuo celebrabat: nim. die XXV. Novembris S. Petrus pro fide occubuit, (*a*) igitur anniverſaria ſacra inſtituit Alexander eodem die, tempore minime ſolenni. Taceo apud Rufinum mentionem duntaxat fieri aquæ infuſæ, cum tamen adhuc moris fuerit nudos immergere aquæ. Taceo alia, quæ adhuc diſquiri poſſent ſecundum canones. Si denique baptizatus in ſe conſideretur, ſupra jam monuimus, actionem baptiſmalem debere eſſe ſeriam. Scilicet miniſter baptiſmi, quicquid mente gerat, profeſſione tamen vel ſpecie externa intendat baptizare, adeo ut appareat ſeu ex lege charitatis præſumi poſſit, eum etiam habere intus eandem intentionem, licet eam revera non habeat; & verus erit baptiſmus, quia ſecundum Chriſti inſtitutionem celebrantur neceſſaria miniſteria actione religioſa. Talem enim actionem Chriſtus inſtituit, quæ expreſſam profanitatis profeſſionem externam prorſus excludit. Atqui Athanaſius ludicram, jocularem & mimicam baptiſmi adminiſtrationem celebravit, ut tota facti deſcriptio teſtatur. Neque enim ſerio ille putabat ſe eſſe epiſcopum, aut ſerio putabat eſſe vere baptizatos aut vere presbyteros, quos baptizaverat aut ordinaverat, ſed tantummodo παιδίαν & μίμησιν quandam παιδικὴν intendebat, non id agere intendens, quod agit eccleſia, ſed tantum intendens id ſimulare, ſeu jocoſo ludo repræſentare, ac mimice imitari, quod agit eccleſia. Non ergo religioſa fuit & ſancta actio, quæ eccleſiæ adprobationem habuiſſet.

§. XIX. Bellarminus quidem vult, pueros illos ſerio egiſſe rem ludicram: (*b*) & Auguſtinus Reding (*c*) ſcribit, Athanaſium intra repræſentaſſe id, quod fieri ſolebat in eccleſia, ut minime ſtaret intra limites puræ repræſentationis ſeu ſimulationis, ſed haberet intentionem requiſitam ad valorem ſacramenti. Probare ſuam aſſertionem



(*a*) Pagi loc. cit. p. 37.
(*b*) Lib. 1. de ſacram. in genere cap. 28.
(*c*) Loc. cit. p. 82.

Digitized by Google

laborat ex Rufini verbis, quæ indicant, cuncta circa illum ab Athanasio adhibitum baptismum fuisse facta, quæ sunt secundum ritum veræ religionis. At inter hæc, dicit, est etiam intentio, quam eo aper„tius est interveniſſe, quod Athanasius talem faceret selectum, ut so„los catechumenos, præhabitis etiam debitis interrogationibus ac re„sponsionibus, baptizaret. Quia igitur Athanasius ita simulavit Alex„andrinum episcopum, ut istum imitando, haberet saltem intentio„nem faciendi, quod facere soleret ille episcopus, cui porro inten„tioni illi catechumeni pueri per suas responsiones se conformasse in„venti sint, consequens est, illi baptismo minime defuisse ex parte„ ministri intentionem necessariam ad valorem sacramenti: uti etiam„ glossa super illa verba *integris interrogationibus* observat: *per hoc*„ inquiens, *quod dicit integris interrogationibus patet, non joco„ sum factum esse.* Sed eodem in loco Reding nobis suppeditat re„sponsionem, nim. dupliciter posse opus externum sacramenti joco peragi: (1) Ex animo solum repræsentandi, atque adeo fingendi id, quod in ecclesia fit a sacerdotibus: & tunc certum esse, quod nullum fiat sacramentum. (2) Ex animo taliter repræsentandi id, quod fit in ecclesia, ut re ipsa tamen intendat quis facere, quod facit episcopus vel sacerdos. At licet hoc eatenus fiat joco, quatenus fit recreationis causa, ejusmodi tamen finis impertinentis intentio non magis officit valori sacramenti, quam si quis lucri causa baptizaret. Si hæc ad præsentem casum adplicemus, baptismus Athanasii non fuit sacramentum; priori enim modo in totum is concedit ipse Reding, posteriori autem modo idem ex parte largitur, cum asserit adfuisse intentionem finis impertinentis, sc. recreationis, quæ excludit intentionem serio administrandi baptismum, tanquam actionem sanctam & religiosam a Christo institutam, nisi quis dicere velit, in ludo illo Athanasium serio putasse se esse episcopum, & reliquos esse presbyteros, quod profecto nec Alexander nec clerici putarunt. Nec obstat exemplum illius, qui lucri causa baptizat, cum quis serio possit hunc actum exercere & simul secundario intendere lucrum, sed serio & simul joci aut recreationis causa eandem rem agere, se mutuo videntur tollere, nisi quis in terminis ludere velit.

§. XX.

Digitized by Google

§. XX. Si porro quis urgeat, ejusmodi baptismum in diversis casibus ab ecclesia nihilominus fuisse probatum, dum non duntaxat in præsenti exemplo Alexander cum concilio clericorum statuisse traditur, in illis, quibus integris interrogationibus aqua fuerat infusa, iterari baptismum non debere, sed adimplere ea, quæ a sacerdotibus mos est; verum etiam Nicephorus Callistus suo ævo simile quid accidisse tradit: (a) Christianorum enim pueris hebræus puer familiaris erat, & cum eis ad mare colentibus natandi incessisset cupiditas, consequutus est eos Judæus. Hunc per ludum pueri, nudum ad mare stantem baptizarunt, principio statim non invitum: posteaquam vero & tertiam divini numinis appellationem nominarunt, & simul tertiam mersionem peregerunt, extrema lineæ vestis, textura discissa, & qui circa hæc frequentatur, imaginario amictu, facto, in capite ejus arcanam mysticamque galeam adumbrarunt: deinde pro cereo dextram ligno tenui armantes, quæ ejus sacri &, ritus sunt, mysteria omnia absolverunt: postremo & circum vicinum templum psallentes obambularunt. Ut vero etiam templum, ingressi sunt, divinam receperunt remunerationem. Idem porro, ex æquo, qui ita baptismo initiatus erat, fecit. Quam rem per, diligentem inquisitionem cognitam, qui ibi sacris præfuit, ad ecclesiam Cpolitanam renuntiavit. Eo puer etiam accitus: quum quidem Judæi, ne id fieret, multa molirentur. Atque ibi quoque, decretum, ut etiam in illo, quod deesset, juxta mysterii executionem compleretur; atque id ita est factum. Qui puer, ubi ad juvenilem ætatem pervenit, in sacerdotii ordinem est allectus: & ædituus seu custos maximi templi factus etiamnum ibi vivit. „ Verum enim vero ut plane non videmus, qua ratione posterior hic baptismus canonibus ecclesiæ conformis judicari potuerit, sic nec prior ille, a quo ut controverso, hoc loco instantia recte sumi nequit, ob superius allata argumenta ab Alexandro & clericis probandus erat. Præterea si hoc Alexandrinorum judicium ita se habuisset, sine dubio Augustinus ad id provocasset in quæstione de baptismo jo-

 cularis

(a) H. E. 3. 37. p. m. 187. seqq.

Digitized by Google

cularis decisione. Longe aliter vero is scribit: (*a*) *Ubi autem neque societas ulla esset ita credentium, neque ille, qui ibi acciperet, ita crederet, sed totum ludicre & mimice & joculariter ageretur, utrum approbandus esset baptismus, qui sic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum, concordi oratione & impensis supplici devotione gemitibus implorandum esse censerem, ita sane ut post me dicturos sententias, ne quid jam exploratum & cognitum afferrent, humiliter expectarem: quanto magis vero nunc sine præjudicio diligentioris inquisitionis vel majoris authoritatis istud dixisse accipiendus sum.*

§. XXI. Possem quidem ad illustrationem sententiæ Augustinianæ adducere exemplum Commodi cujusdam, quem Heliopoli in Ægypto sub Diocletiano quidam in contemtum religionis christianæ tepida aqua abluebant in nomine Patris, Filii & Spiritus S. postea candida veste induebant; accepto autem baptismo statim exclamabat baptizatus: *Christianus sum! Christianus moriar!* quo audito populus theatrum irruit & hominem lapidibus obruit. Conjungerem quoque cum isto factum Genesii martyris, qui, prout refertur in martyrologio Romano, (*b*) cum mimus esset & in scena, ut placeret imperatori, irrideret sacramenta christiana, adeoque per jocum baptizari se faceret, repente mutatus & ab angelo admonitus de efficacia illius aquæ ad remissionem peccatorum, si ex corde ad Christum transire vellet, justificationis gratiam percepit & mox fidem publice professus, martyrio coronatus est. Sed cum hæc peculiarem requirant disquisitionem & nos ad alia avocemur, in Augustini acquiescimus judicio, & Athanasium, in nostro examine hucusque detentum, dimittimus.

(*a*) Lib. 7. de bapt. contr. Donat. c. 53. p. 105. G.

(*b*) Vid. Vincent. Bellov. in specul. hist. lib. 12. cap. 104.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google